

# MONOMA

CHIA DAVIDIS ET GOLIAE,  
 & Allegorica eiusdem expositio, Heroico carmine  
 descripta, unà cum alijs quibusdam, quo-  
 rum catalogum sequens pagella  
 exhibet omnia.

RODOLPHO GVALTHERO  
 Tigurino autore.



TIGVRI APVD CHRIS-  
 toporum Eroschouerum.

ARGVMENTVM LIBRI PRIMI  
mi Monomachias.

PRImus habet motusq; graues turbasq; Philistei,

Qui Ifacidū subito milite uastat agros.  
Queis pariter Saulus duris occurrit in armis,  
Hostilicq; cupit bella mouere manu.  
At noua conspecti perterret forma gigantis,  
Ifacidæ turpi dant sua terga fugæ.

ARGVMENTVM LIB. II.

Saul proprijs hostes conatur pellere castris,  
Impedit horrendus friuola cœpta gigas.  
Interea fratres uisit Iesseius Heros  
Et uidet in castris quanta pericla sient.  
Se pia promittit capturum prælia pugnae,  
Qua Goliath proprio cæsus ab ense iacet.  
Quo cæso pariter fugierunt agmina tota,  
Ad Solymas redijt lætior ille domus.

ARGVMENTVM LIB. III.

Tertius altisoni decantat prælia Regis,  
Quæ contra inferni pertulit ille Ducem.  
Quem moriens etiam funesta clade fugauit  
Expugnans satanam tartareasq; domus,  
Sic etiã quotquot lætantur nomine CHRISTI,  
Talia cum uitijs bella mouere solent.



Occubuit proprio confossus ab ense Gethæus,  
Sic Deus exiguis perdere magna solet.  
Et simili satanan CHRISTVS certamine uincit.  
Victori tanto plaudite sancta cohors.

# MONOMACHIAS

DAVIDIS ET GOLIAE

Liber Primus.



ENS mea leta nouo uatum commo Propositio:  
ta furore

Aonias undas & amcenos flore uirenti  
Parnasi uernos gestit cōscēdere colles,

Carminibusq; nouis paucis tentata priorum

Dicere: tessēi iuuenilia praelia uatis,

Altigradum ut uictrix illius dextra Gethæum

Vicerit & patriam pulchris adiuerit ausis.

Christe decus uatum fœlici numine nostra

Inuocatio:

Pectora contingas, sacrum mihi funde liquorem,

Vt possim solito maiores pectoris astus

Te duce laurigero fœlici dicere Musa.

Ver erat & blandis Zephyris pallemia terræ

Narratio:

Frigora mutabant letis successibus annum:

Iam niue depulsa pratis fœcunda redibant

Gramina, iamq; nouis crepitabat frondibus arbor

Cum cupiunt læti solitos renouare labores

Agricolæ duram scindentes uomere terram.

Nunc aliquis nigris commendat semina sulcis,

Ah miser hostili casura hæc semina falce.

Deniq; quisq; suis intentus pectora curis

Instat & in longum spem campis educat annum.

MONOM. DAVIDIS

Cum subito exoritur crudeli gente Philisteus  
 Gens inimica Deis, immanis, perfida, fallax,  
Luxuriosa, superba, minax, crudelis, iniqua,  
 Contemptrix superum, uenerandi nescia iuris  
Nil nisi uicinos & amicos ledere docta,  
 Quæ noua sperati conturbans gaudia ueris  
 Irruit & lato deuastans agmine campos  
 Iudaicos, anni spem primis perdit in herbis.  
 Iam calcata iacent dura per fossa colonum  
 Arua manu, primæ segetes sunt pabula equorum.  
 Agricola hostiles cernentes robore duro  
 Tam seuire manus, agris uillisq; relictis  
 Tendentes tristes ad cœli numina palmas  
 Orant auxilium, trepidans tunc urbibus altis  
 Inuolat hostilem metuens gens rustica turbam.

Consilium proceres capiunt quos regia Sauli  
 Continet ut possint hostilia uiribus arma  
 Perdere & infaustram patriæ depellere cladem.  
 Quos inter Saulus princeps animosus & audax  
 In manibus uitam, spem uitæ ponit in armis,  
 Et certare manu uiresq; repellere per uim  
 Instituit fortis. Non hæc sententia fati  
 Stabat, ut instructus telis aut milite forti  
 Hostiles posset patriæ depellere turmas.  
 Quo ruis infœlix? quis te furor improbus urget?  
 Quo properas Saul? siste pedem non fortibus armis

Horrendo crepitu metuenda tonitrua reddunt,  
 Talis in immensum strepitus clamorq; uirorum  
 Exurgens quatit excelsi uaga nubila caeli.  
 Utq; solent timidae damæ ceruicq; fugaces  
 Montibus in summis subito cum cornua raticæ  
 Venantum resonant, inceptos sistere gressus,  
 Attonitiq; sonis arrectis auribus astant:  
 Sic subitus nostras clamor cum perculit aures  
 Terruit exanimes, timidis uox faucibus hæsit,  
 Diriguere comæ, gelido formidine membra  
 Obstupuere uiris, nec quid faciamus inertes  
 Nouimus, an coepto conducat pergere cursu,  
 Aut retinere gradus, multi formidine capti  
 Diffugiunt, syluas uirides latebrosaq; quærunt  
 Saxa, iubet coeptos gressus Cisseius heros  
 Sistere & euentus belli spectare futuros.

Ecce uir immanis uasta se corporis alti  
 Mole ferox tollit, quo nil monstrorcius unquam  
 Terra tulit, dubites hominum rapidumue ferarum  
 Attribuas numero, senos nam corpore longo  
 Vincebat cubitos, stant alto uertice uultus  
 Sanguinei, humana iam tunc quoq; cæde madentes.  
 Hei mihi quis terror pallensia concutit ossa  
 Cum recolo faciem, cum seui luminis orbis  
 Cernere me credo, fluidos cum sanguine rictus  
 Mente agito, atq; pares cum tanto corpore uires.

Goliae des-  
 criptio.

MONOM. DAVIDIS

Heu mihi quantus erat, quàm seuo lumine nostra:  
 Agmina lustrabat, ucluti cum torua leonis  
 Lumina uolumur, paruo qui uulnere laesus  
 Respicit authorem facti, micat igneus olli  
 Ex oculis furor, ingentes sed pectore uires  
 Concipit & longæ irritat se uerbere caudæ:  
 Sic stabat dirus crudeli luminis orbe  
 Enachides Goliath monstrum telluris opacæ,  
 Aerea sublimi fulgebat uertice cassis  
 Auricomis splendens cristis, sed pectora thoracæ  
 Contegit, & corpus lorica cura trilicis  
 Aenea defendit, quinq; illam pondus habere  
 Millia siclorum dicunt (hinc collige uires)  
 Crura tegunt ocreæ, clipeum sed læua tenebat.

Scutum  
 Goltæ.

Huic erat insculptū quicquid gens impia & atrox  
 Assolet in Diuos mendaci fingere lingua.  
 Illic uidisses immani mole gigantes  
 Montibus extractis alios superaddere montes  
 Ut possint summum cælo turbare tonantem.  
 Iuppiter in summo consistens culmine cæli  
 Fortia pallenti librabat fulmina dextra  
 Anguipedum metuens horrentia cœpta gigantum,  
 Mox tamen exanimi correptus membra timore  
 Fulmine proiecto cælestia regna relinquit,  
 Suntq; fugæ comites alij quos summus Olympus  
 Cominet, hos sequitur pedibus uelocibus usus

Quem

Quem genitrix tellus nomenq; Typhoëa fecit.  
 Hic quoq; mutato potuisses corpore tectos  
 Cernere coelicolas cæca formidine captos,  
 Iuppiter hic aries, coruus fit Delius ater,  
 Fele Diana latet, capro Semeleia proles,  
 Pisce Venus, foedum Cillenius induit ibim,  
 Et rixosa capit niueam Saturnia uaccam.  
 Parte alia summi scansuram culmina coeli  
 Aedificant homines primi furialibus ausis  
 Excelsam turrim, potuisses cernere multos  
 Quos opus oblectat tantum, stans aureus illis  
 Princeps demonstrat mores legesq; laboris.  
 Hic humeris portat lapides, hic mœnia condit,  
 Hic calidam sterili calcem commiscet arena.  
 Talia multa tulit summi contemptor Olympi  
 Artificum studijs clipeo depicta rotundo.  
 Magna gigantea uibratur lancea dextra,  
 Lancea, quam nemo quantumuis uiribus ingens  
 Sustentare manu poterat nam nauibus altis  
 Arbor erat quondam uelis satis apta ferendis.  
 Ante illum tali dignus seruire magistro  
 Armiger infoelix ibat, nos corde trementi  
 Pallentes stetimus mirati turpia monstra.  
 Ipse etiam Saulus monstruosum corporis alti  
 Contemplans habitum dubia formidine captus  
 Quid faciat querit, subito cum uoce tremenda

Gne. 11.



Corpus & imbelli nutant formidine mentes.  
 Et iam Sol omnes lustrabat lumine terras,  
 Et stabant acies immotæ collibus altis.  
 Expectat nostros accessus Barbarus hostis,  
 Nos illum contra, ueluti cum robore forti  
 Præstantes aquilæ cupiunt certamina dura  
 Miscere, at pugna illis quæ prima capessat  
 Addubitant, uelox nunc hæc nunc incipit illa  
 Consurgens fuluas in altum extendere pennas,  
 Sed quoties cœpit, contraria prælia cernens  
 Affore, demittit conceptos pectoris æstus:  
 Talibus inter se cupidi committere pugnam  
 Alternant animis, nec quis prior inferat arma  
 Nouerunt, dubio quatiuntur corda timore.

Cum subito uenit diuino numine missus  
 Dauides frater patriæ laus maxima nostræ,  
 Seruator, columen, decus & pietatis auitæ  
 Assertor, tutor, regali stemmate dignus.  
 Hic ubi desertis castris reperire nequiuit  
 Non Heliab fratrem, nec me, nec Aminadab acrem,  
 (Vna etenim cum alijs fueramus bella secuti.)  
 Protinus (ut nimium est audax & fortior annis)  
 Omnia deseruit pugnam spectare paratus,  
 Ac adit instructas acies, nos lumine ubiq;  
 Lustrat & inquirit per propria nomina fratres.  
 Certe ego cum uidi (quæuis tibi numina iuro)

Dauidis  
 aduentus in  
 castra.

MONOM. DAVIDIS

Non hominem fratremue meum sed numen Olympi  
 Cernere me credens melius sperare uidebar.  
 Huic etenim solito maiori lumine fortis  
 Fulgebat facies, iam nunc quoq; nescio in ore  
 Qui uultus fuerat, micat ignea ubiq; cupido  
 Ex oculis, casus non irrita signa futuri.

Vix tamen aduenit, uix illum querere pauca  
 De te tunc potui (reliqui nam longius inde  
 Parte alia stabant fratres) cum castra Philistei  
 Surgere concipiunt, subito cum cuncta fragore  
 Armorum resonant, consurgit clamor ubiq;  
 Et iam iam conferre pedem manibusq; parati  
 Ad pugnam fuerant omnes, cum corpore uasto  
 Emicat Enachides crudeli mente tremendus,  
 Lumina saeva rotans & lentum hastile lacerto  
 Exagitantis forti, ueluti sub moneibus altis  
 Cum draco decubuit, quem multo tempore uexans  
 Atra fames rabiem uacua nutriuit in aluo,  
 Egressus syluis pecudes conspectus in altum  
 Erigitur pedibus, sinuosaq; colla retorquens  
 Ex oculis saevi respirat pectoris iras,  
 Quemq; petat querit, tauri sed gramine leto  
 Turbati incertum nunc hinc nunc inde recurrunt,  
 Inq; orbem coeunt timidi: Sic impius ille  
 Conturbat nostras acies, nos agmine iuncto  
 Stamus & incerta pectus formidine capti

MONOM. DAVIDIS

Saulus Dauidem  
suis armis induit.

Imposuit fratri: defendit pectora thorax  
Regius, auratis armillis brachia fulgent,  
Crura grauant ocreæ non tali à milite quondam  
Portari assuetæ, duro fortissimus ensis  
Appensus lateri splendenti flectitur arcu.

Hæc ubi inassueto sumpsisset corpore Dauid  
Ocius hinc tentat num sic indutus in armis  
Et librare gradus, & certum crura mouere  
Per spacium possit, solitos num corpore motus  
Exercere queat: ueluti cum ludicrum in armis  
Exercet studium quidam, quem corporis astu  
Certa inferre docet, uel uerbera missa magister  
Corpore & assumptis armis eludere in auras:  
Sic quoq; Dauides nunc hinc nunc inde rotatus  
Insolitum insuetis exercet corpus in armis.  
Non tamen hæc potuit membris aptata tenere,  
Fortia non etenim solitos sua brachia motus  
Crura nec officium faciunt detenta micanti  
Aere, nec aurata depressus casside uertex  
Sydereo solitos attollit lumine uultus.

Dauid arma  
reijcit.

Tum Dauid, Non hæc (inquit) mihi ferre suctum est  
Arma gerant alij, magis hæc me pondera ferri  
Impediunt, nec enim mea membra exercui in illis,  
An nisi ferratis potero superare Gethæum  
Hunc armis? Alia est longe sententia fati.  
Sit dominus coeli scutum, sit currus & arma

Qui

Qui me crudeli rapuit de fauce Leonis.

Dixit & ardentem niuea de fronte leuatam  
Deposuit galeam, totum quoq; corpus ab armis  
Liberat. Hunc Saulus nimium miratur & omnes  
 Aspiciunt regni proceres & qualia poscat  
 Arma rogant, ast hic regis tentoria linquens  
 Arripit inde pedum pastoris fortia sceptrā,  
 Quāq; suos fundam primos exercuit annos:  
 Quinq; legit ripa lapides foelicia tela  
 Quēis sibi pendentem ex humeris gestamina ruris  
 Compleuit peram. Mirantur talia facta  
 Qui spectant alij, mirantur talibus armis  
 Hunc uelle immanis deuincere tela Gethæi.

Arma Dauidis.

His uenit instructus telis, his uincere posse  
Magnanimum Golia promittit frater & alta  
 Voce iubet diro crudelem indicere pugnam  
 Hosti, nempe uenire uirum qui uiribus audax  
 Debellare uelit flammantia tela Philistæi.  
 Et ueluti tenera cupiens decernere ferro  
 Pro sponsa iuuenis, munitus fortibus armis  
 Inuidiosa cupit riualis pellerē tela,  
 Et quamuis mentem durus perterreat hostis  
Attamen huic casto quo flagrat pectus amore  
Firmantur uires ut nulla pericula curet:  
 Sic etiam Dauid sese committere morti  
Pro patria instituit, ualidis quo uiribus illam

MONOM. DAVIDIS

Sed ruit occurrens citius fortiq; lacerto  
 Ferratam uibrans hastam certamina poscit.  
 Hunc David contra, ueluti cum pascua circum  
 Decertant taurusq; ferox & torua leana,  
 Irruit ille ferox inq; aëra cornua tollens  
 Ventilat, hæc uero uersutis fraudibus illum  
 Cedendo oppugnat nunc hinc nunc inde fatigans  
 Cornigerum, donec forti certamine uictus  
 Florida purpureo conspergit prata cruore:  
 Haud aliter Goliath & forti pectore David  
 Concurrunt campis, hasta configere pectus  
 Ille cupit niueum, proprijs hic fortior annis  
 Occurrens uelox celeri uertigine fundam  
 Aëriam torquet lapidemq; emittit in illum,  
 Missus at ille uolat ueluti cum corneo ab arcu  
 Pennigera à docto dimittitur hoste sagitta,  
 Utq; caput tollit Goliath in fronte resedit  
 Suprema, qua concisso iunguntur ab osse  
 Et frons & nares, ipsam tunc impete forti  
 Iuncturam rumpens cerebrum confregit inane.  
 Ictus at ille furit, tum terq; quaterq; rotatus  
 Concidit in faciem telluremq; ore momordit:  
 Sicut ad ardentem titubans cum constitit aram  
 Victima,serta gerens capite & candentia farra,  
 Excipit in niuea libratam fronte securim,  
 Ast oculos illi mixta cum morte tenebræ

Goliath uin-  
 citur.

Algifica capiunt, paulumq; hinc inde uolutus  
 Poplite deficiens grauiter procumbit humi bos:  
 Haud aliter uasto percussus uulnere fratris  
 Procubuit Goliath crudeli murmure frendens  
 Sicut aper laesis membris uenabula gestans.  
 Armiger inde fugit fatum dum cernit herile  
 Et clamore graui montes camposq; patentes  
 Diffugiens complet castris mala nuntia portans  
 Barbaricis: sed tum foelici uulnere stratum  
 Dauides hostem cernens, accurrit, & ense  
 Detruncat proprio, sed aperto gutture sanguis  
 Erumpens uirides campos ceu fonte rigauit.

Ast ego magnanimum fratris uirtute Gethæum  
 Deuictum cernens subito fera castra reliqui  
 Ut tibi quos peperit natus cum laude triumphos  
 Narrarem primus, nunc ô pater exue tristes  
 Vultus, carniuoros afflictæ è mente dolores  
 Abijce, diuino nam surgunt numine nobis  
 Tempora, queis tandem contusus fortibus armis  
 Accaron alta iacet, nunc diuite nobilis auro  
 Gaza, Geth, & ualidis muris nunc Ascalon ingens  
 Azotusq; ferox nostrum periere per enses,  
 Que patriæ fuerant pestis seuisima nostræ.

Talia tardigrado narrabat facta paremi  
 Samma uolens annos uerbis hilarare seniles.  
 At pater audaces animos & fortia facta

Hinc alij cædunt alios, furit undiq; ferrum  
 Et uolat in coelum puluis, ferit æthera clamor,  
 Missaq; tela uolant, percunt hostilia late  
 Agmina, non aliter quàm si de nubibus altis  
 Horrisono grauidæ sternuntur grandine messes.  
 Hic furit immensum Dauid simul & quibus armis  
 Truncarat Golian, hostilia corpora cedit.  
 Hoc cecidit Balach audax & fortior armis  
 Abda lobabq; ferox qui primo semper ab æuo  
 Tranquilla mutuo coniuncti pace fuere,  
 Et nunc ambo simul uno periere sub hoste.  
 Utq; greges inter furibundo corde leones  
 Proxima quæq; ruunt quos forsân rustica turba  
 Exagitauit iners, sic tunc Iesseus Heros  
 Et Saul & simili spectandus robore natus  
 Infaustos cædunt hostes, necq; ante remittunt  
 Inceptas cædes donec per prata Gethæa  
 Accaron elapsi tegerentur mœnibus hostes.

Inde tuba reditus signum Cisseius Heros  
 Concinuisse iubet, Solymorum lætus ad urbem  
 Iudeus tendit spolijs cumulatus opimis.  
 Quis queat illius describere gaudia lucis,  
 Qua pastor redijt Iesseus uictor ab hoste?  
 Serta gerit miles, ramis frondentis oliuæ  
 Compita sternuntur, depictis septa uiarum  
 Auleis fulgent, resonant in mœnibus hymni

Iſraelitarum  
 triumphus.

MONOM. DAVIDIS

Hinc quoq; ferre pedes Saulus iubet ordine certo,  
 Ne turbata nimis ueniant hæc agmina in urbem.  
 Primus at hos inter Dauid (quem Ionathan acer  
 Et pater eximius comitantur gressibus æquis)  
 Incedit gestans dextra uictrice micantem  
 Altigradi Goliæ gladium qui sanguine herili  
 Continctus nimia crudelis cæde madebat,  
 Et caput in leua correptis crinibus ingens,  
 Queis tunc ornatus spolijs cum laude triumphans  
 Ad Solymi muros properat portasq; patentes.

Huic at in occursum ueniunt mox agmine leto  
 Ifacidum matres, nuptæ innuptæq; puellæ,  
 Et uarijs iuuenem celebrabant laudibus, illa  
 Tympana rauca sonans, alia at crepitantia sistra,  
 Altera multiforo decantat carmina buxo,  
 Ast alia hæc dulci modulantur carmina uoce:

Iudæarum  
 cantilena,

Nunc canas foelix domino potenti  
 Et refer laudes meritas supremo  
 Qui graui fortis rapuit te ab hoste

Nata Syonis

En uenit nostrum decus & supremus  
 Gentis en nostræ grauis & benignus  
 Dux uenit qui nunc superauit alti

Tela Gethæi

Gaudeas, en hic ualido lacerto  
 Dum rotat fundam teretem beatus

Hæsit



Hæsit in summa globus ille missus

Fronte Philistei

Hoc iacet fortis nimiumq; saeuus

Sæpius qui nos gelido tremore

Pallidas cordis nimium supini

Terruit ingens

O decus nostrum ualeas in omne

Tempus & foelix moriture nunquam

Viuito gentis columen supremum

Summaq; uirtus

Quis potest tanto iuueni decora

Laude conferri, nec enim parem illi

Edidit multa celebrata laude

Patria tellus

Mille nam quondam ualidus cecidit

Saul uiros Dauid decies sed illum

Vicit & campo uiridi cecidit

Millia dena

Cedat en nostro domino potenti

Quicquid insanæ posuere quondam

Numinis stulto nimiumq; uano

Pectore gentes

Regnat & semper reget arce summa

Qui mare & coelum uiridemq; terras

Condidit fortis ualidamq; molem

Sustinet omnem

## MONOM. DAVIDIS

Talia dulcisono modulantes uerba tenore  
Isacidum cantant matres, dum digna referre  
Conantur iuueni, sed non hinc carminis huius  
Finis erit, manibus procul hinc psalteria uestris  
Abijcite, et longum ualeant caua tympana uobis.  
Hei mihi quos luctus, gemitus & quanta pericla  
Illa dabunt iuueni uestris cantata camœnis?  
Hæc animum incendunt Saulo quo perdere regni  
Conetur columen, Dauides laudibus istis  
Nudus, inops, expes, terris depulsus auitis  
Tristia sollicito patietur damna dolore.

Quo feror ignarus: satis en nunc æquora lata  
Emensus fessam sicco sub littore puppim  
Sistere tempus erit, uolitantia neccite uela  
Pegafides properamq; mihi cohibete carinam.

## MONOMACHIAS

DAUIDIS ET GOLIAE

Liber Tertius.



ACTENVS Isacidem fortem ua  
stumq; Gethæum  
Diximus, & paruum celeres transui  
mus æquor.

En noua nunc ueniunt nostris celebranda camœnis

Præ

Prælia, non parui nos urgens cura laboris.

Nunc etenim unigenæ foelicia prælia Christi  
 Quæis contra stygiumq; louem tristisq; potentem  
 Inferni dominum confligit numine dextro  
 Describenda mihi ueniunt, nunc maximus horror  
 Concutit, & timidum tantos mihi respuit ausus  
 Ingenij pectus uix nostris uiribus aptos.  
 Nam quantum diuûm regnis mortalia cedunt  
 Omnia quæ uasti concludit machina mundi,  
 Tantum quæ cecini concedunt omnibus illis  
 Quæ modo carminibus nostris cantanda supersunt.

Et ueluti si quis celeris per flumina Rheni  
 Occiduos intrat fluctus, cum Pontus & ær  
 Omnia sunt, nec quis poterit iucunda uidere  
 Littora, quouere ratem uento, qua dirigat arte  
 Nescit & addubitans per cœrula flumina puppis  
 Fertur, & hinc illinc uento pulsatur & undis:  
 Sic mihi, qui humanis cœlestia iungere bellis  
 Institui, uarij tremebunda in mente dolores  
 Surgentes animum studia in contraria ducunt.

Tu tamē ô mûdi columē dux inelyte CHRISTE,  
 Atq; humana salus, ô magne salutifer Heros,  
 Unigena, omnipotens, æterna luce coruscans,  
 Qui mentes hominum, qui uatum pectora leto  
 Numine deducis, nostros foeliciter ore  
 Audaces animos diuino ducito gressu.

MONOM. DAVIDIS

Te mihi si dederis facilem, mox carmina uires  
 Concipient dignas: proprium modo numine uatens  
 Ducito, qui laudesq; tuas, pugnasq; feroces  
 Et parat hei tenui caelestia dicere musa.

Non mare, non tellus, non picti sydera cœli,  
 Nec modus ullus erat rerum, nec certa gubernans  
 Lex, Dominus rerum cum primum pondus inane  
 Condidit è nihilo V E R B I uirtute supremi,  
 Quod dixere Chaos, quoniam hoc confusa latebant  
 Omnia, quæ teretis clauduntur tegmine mundi.  
 Vt globus è lana diuersa mixtus in unum  
 Ostendit facies & formas mille colorum  
 Mutuo pugnantium, sic uasto copore mundi  
 Humida cum siccis, gelido cum frigore flamma  
 Pugnatat crepitans, grauibus tendentia sursum.  
 Nullus sydereo radiabat lumine Titan.  
 Ortus erat nullus, nec declinantia cursum  
 Sydera cognorant metas, nec littora Pontus:  
 Nulla reformatæ crescebant cornua Phœbes.

Gen. 1.  
 Creatio  
 mundi.

Hac deus è turba, mundum, mare, sydera, terram,  
 Condidit, & certa iussit consistere lege,  
 Tunc mare discessit refugum, tunc lucidus æther  
 Emicat, ima petit tellus, tunc lubricus aër  
 In patulum tenuis totum dispergitur orbem,  
 Gramina tunc tellus fert & genus omne ferarum,  
 In fluiijs pisces pascuntur, in aëre summo

Depicta